

DIVINA FAVENTE GRATIA!  
SPECIMINIS ACADEMICI,  
De

**LEGATIS**  
EORUMOVE  
**SANCTITATE,**

PARTEM PRIOREM.

*Ex suffragio Ampliss. Facultatis Philosoph. in Regia Acad. Aboensi,*

Sub Moderamine

**HENRICI BÄSSEL**

Eloquentiae Prof. Reg. & Ord. Aca-  
dem. h. t. Rectoris Magnifici,

*Publico Examini submittit*

Alumnus Regius

**JACOB JOH. SALMENIUS,**

*Boreæ-Finlantus.*

Loco horisque solitis, ad diem  
2. April. Anni MDCCXXXV.

---

ABOE, Exc. Joh. Kiämpe R. Ac. 1 yp.

SÆRÆ M:TIS  
MAGNÆ FIDEI VIRO  
*Reverendissimo DOMINO*

# DN. J O N Æ FAHLENIO

S. Theologiae Doctori Consummatissimo,  
Diœcesis Aboensis Episcopo Eminen-  
tissimo, Regiae ibidem Academie Pro-  
Cancellario Magnificentissimo, Consisto-  
ri Ecclesiast. Præsidi Gravissimo,  
**MÆCENATI MAGNO.**

**L**icit. Dignitatis. Vestræ. Splendor. Magni-  
na. Vestræ. Vel. Obelisco. Sint. Dignissima.  
mos. Benevolentia. Quam. Mibi. Quoque. Ex-  
brationes. Splendidissimis. Vestræ. Nominibus.  
gnitate. Hoc. Qualecunque. Venerabundi. A-  
ratione. Illud. Ad. Favoris. Vestræ. Aras. Defe-  
ni. Vestræ. Incolumitate. Nuncuparo.

SPLENDIDISSIMORUM NO-

*Cultor & cli-  
Jacob*

S:Æ R:Æ M:TIS  
MAGNÆ FIDEI VIRO  
*Generosissimo DOMINO*

# DN. LAURJOH. EHRENMALM

Supremi, per Magnum Ducatum Finlan-  
diæ, Regii Regniisque Dicasterii Consil-  
liario Consultissimo,  
**MÆCENATI BENIGNISSIMO.**

Macenates. Adeo. Omnibus. Elueat. Ut. Nomi-  
Summa. Tamen. Vesta. In. Musarum. Alu-  
periri. Licuit. Fretus. Exigmas. Hasce. Luce-  
Dicare. Sufficiui. Tanta. Itaque. Vultus. Beni-  
nimi. Piguus. Adspicere. Quanta. Eg. Vene-  
ro. De. Cetero. Calidissima. Vota. Ero. Peren-  
Non. Intermittam. Ad. Cineres. Futurus.

MINUM VESTRORUM.

285 *devotissimus*  
Salmenius.

*Admodum Rever. & Praeclarissimo VIRO*

**Dn. Mag. LAUR. SACKLINIO,**  
Pastori in Wirmo & adjacentis distri-  
ctus Præposito Amplissimo.

*Admodum Rever. atque Praeclarissimo VIRO*

**Dn. Mag. BENED. KROOK,**  
Pastori in Hollola, & vicini contractus  
Præposito Gravissimo.

*Piñrim. Rever. ac Praeclarissimo VIRO*

**Dn. Mag. JOHAN. SALMENIO,**  
Ecclesiæ Rimitoënsis Pastori Meritissimo,  
Patri Carissimo, & quavis filiali obser-  
vantia Colendo.

*Spectatissimo VIRO*


**Dn. JOACHIMO SCHÆFER,**  
Mercatori inter Aboënses Honestissimo,  
Fautori plurimum Honorando.

**V**Obis, Patroni atque Evergetæ Optimi,  
Parens Carissime, & Fautor Honoratissi-  
me, hoc qualemunque observantia in Vos mta  
ac gratitudinis monumentum consecratum  
volo.

**NOMINUM VESTRORUM.**

**Cultor & filius observantissimus**

**J. S.**



## AVSPICE CHRISTO.

**O**venia modum ipsa  
necessitas jubet rbus  
communem civitatis  
utilitatem continentibus rite  
consulere ; ita pariter e re  
est ut & qui ad gubernacu-  
la reipublicæ sedent, & cœ-  
tus hominum communis secu-  
ritatis promovendæ atque ob-  
tinendæ causa sociatus, arctis-  
simō officiorum invicem præ-  
standorum vinculo conjuncti,  
pro virili partes quisque o-

A beant

beant suas. Cives quidem quod  
sui est officii tum demum fa-  
cere censendi sunt, si custodi-  
bus gubernatoribusque reipu-  
blicæ pareant & dicto audi-  
entes sint: summam adversus  
eos reverentiam adhibeant: san-  
ctam atque inviolatam illis præ-  
stent fidem: salutem suam do-  
mesticaque comoda incolu-  
mitate civitatis posteriora du-  
cant: amicitiam, pacem ac  
concordiam cum cæteris civi-  
bus colere & servare studeant,  
Officiorum autem, quæ ad im-  
perantes spectant, summa in  
eo vertitur, ut quæcumque ad  
principem initæ societatis civilis  
finem tuendum pertinere no-  
væ sint, facere summa nitantur  
ope

ope. Verum enim uero , cum  
in republica rite administranda,  
plura & majora clavum imperii  
tenentem circumueniant nego-  
tia, quam ut istis obscundis solus  
sufficere queat ; quippe cuius ad  
arbitrium judiciumque summa-  
terum omnium redeat : ipsa ci-  
vitatis reique publicæ salus exi-  
git, ut virorum, summa inge-  
nii sagacitate, virtute ac pru-  
dentia ornatorum globo atque  
corona cinctus sit & stipatus ;  
quorum saluberrimis subleve-  
tur ac fulciatur consiliis. Tan-  
tum igitur cum absit , ut gu-  
bernacula reipublicæ rite tra-  
etatus, ipse unus omnia suis  
cervicibus sustinere possit mu-  
nera, ut potius aliorum opera

& ministerio uti necesse habeat;  
sibi rebusque suis ac civium o-  
ptime prospectum ibit, si magi-  
stratus inferiores & ministros  
muneribus pares constituant, qui  
vicem expleant suam. Horum  
quidem divisio in tot species  
distribui potest, quot existunt  
objecta, in quibus opera eo-  
rum & labor versatur. Aliis ce-  
nimi diligentissima totius reipu-  
blicæ administratio curæ cordi-  
que erit, quibus etiam ad inti-  
ma regis consilia peruenire lice-  
bit, canique ob cauſam *consili-  
arii intimi*, dicuntur: alii judici-  
a exercebunt: aliis ærarii, aliis  
orum bellicarum custodia est  
comissa: alii denique nego-  
tiorum civitatis nomine agen-  
dorum

dorum gratia ad exterarum na-  
tionum imperantes mittuntur,  
generali *legatorum* nomine in-  
signiti. Sed ne his enumeran-  
dis diutius inhæream; quippe  
cum animo jam non sedeat pro-  
positum ea omnia persequendi:  
misslo ulteriori verborum antra-  
ctu, ad institutum me accingo;  
de illis, quos postremo loco no-  
minavi, *legatis* nimirum ut &  
eorum *sanc&lt;tiltate*, rudi licet mi-  
nerva, quædam expositurus.  
Favorem B. L. Tuum non  
est, quod multis implorem; ut-  
pote qui non sim nescius, ut  
quisque maxime cordatus ac  
fragilitatis humanæ memor sit;  
ita eum præ cæteris rerum alie-  
narū æquum se præbere censō-

rem. Vale igitur C. L. atque innoxios juveniles conatus æqui bonique consule.

§. II.

**M**orem inter disputantes receptum, & diuturna consuetudine ceu lege quadam sancitum, servaturi, vocum quidem, quas dissertatiunculae nostræ inscripsimus, diligentiores rem adhiberemus enodationem: sed cum eorum ~~etiam~~ Lectorem fugere nequeat; quippe quæ apud lexicographos passim obveniat; nec est quod hoc in negotio simus longiores. Breviter igitur strictimque monuisse sufficiat, legatorum nomine, in latiori significatione accepta voce, nobis, venire quos.

7

quosquis ministros, ab eo, cui  
summa in civitate potestas  
competit, leatos ac publico  
nomine ad alium, qui etiam  
majestate gaudet, belli aut pa-  
cis, commerciorum aut amici-  
tiae vel ineundæ, vel firmandæ  
causâ missos. Sanctitatis au-  
tem vocabulum hoc loco idem  
est, atque inviolabilitas. San-  
ctum enim id dicitur, quod re-  
ligiosum, sacrum & inviola-  
bile haberi necesse est. Cate-  
ras harum vocum acceptiones  
scire qui desiderat, lexica a-  
deat.

### §. III.

**C**um civitas, res suæ inco-  
limes ac tutæ ut maneant,  
amicitiam auxiliisque alteri-  
us

us civitatis petere haud raro  
necessum habeat; id vero per  
litterarum commercia adeo  
commode effici nequeat; nec  
imperantibus ipsis integrum sit  
ad exteris nationes rerum  
maximi ponderis expedienda-  
rum gratia proficisci; nec in-  
tegræ gentes cum aliis imme-  
diate agere possint; atque adeo  
fieri & oporteat, & opus sit,  
ut personæ ejusmodi publica  
auctoritate allegentur, quæ  
susceptam negotiorum procura-  
tionem fideliter obeant: ad il-  
lam statim devolvimur quæstio-  
nem: *In quem legatos mittendis  
jus cadat?* Ad hanc quidem re-  
spondemus, asseverando illos  
tantum, qui summiam in civi-  
tate

tate obtinent potestatem, legatos mittere posse. Nam quia legationis munere fungentes negotia tractant foederum, quæ vel armorum, vel commerciorum, vel pacis atque amicitiae causa percutiuntur; id vero jus pars quedam majestatis existit; partes autem summi imperii omnes tam aucto inter se continentur nexu, ut salva forma civitatis regulari, scilicet singulæ, ut verbis utar celeb. Putendorfii (a), penes unum radicaliter & independenter esse debe-

(a) Off. H. & C. lib. II.  
c. 7. §. 9. conf: f. N. &  
G. lib. VII, cap: 4. §. II.

debeant: sequitur etiam quod  
legati ab iis solum mittendi  
sunt, quibus summa illa pote-  
stas adeoque omnia jura maje-  
statica competit. Hinc igitur  
colligere licet, jus legatio-  
nis non pertinere ad eos, qui  
vel prælio devicti, regnoque  
simul & omnibus summi impe-  
rii partibus spoliati, plane atque  
omnino in alterius venere pote-  
statem, vel ultronca regni de-  
zelictione facta, juribus maje-  
staticis abscesserunt, vel deni-  
que potestate justas ob caussas  
expulsi nullis non imperii parti-  
bus salutem dicere sunt coacti.  
Multo minus existimandum,  
*rebelles, piratas, & latrones*  
civitatem non constituentes,

jus

jus illud habere (b); licet non  
 inficiandum sit, quandoque  
 usu venire, ut principes ex  
 indulgentia quadam hoc illis  
 permittant, quo eiusmodi  
 sceleratorum hominum globo  
 potestatem se purgandi atque  
 ad frugem redeundi faciant.  
 Nec denique populus, qui  
 regis sui imperio subjaceret,  
 hoc legationis jure gaudet;  
 quippe qui, ut loquitur celeb.  
 Buddeus (c), summum im-  
 perium contulerit non *cumus-  
 lative*, sed *privative*, hoc est,  
 nihil potestatis in imperantem  
 sibi reservarit, sed illi se o-  
 mni-

(b) videsis Hug. Grot. de  
 J. B. & P. lib. II. c. 18.  
 §. 2. n. 3.

mnino subjecerit. Proinde qui  
a civibus ad principem able-  
gantur, non legatorum, sed  
*deputatorum* subibunt nomen:  
quemadmodum nec eos, qui  
a principe ad cives mittuntur,  
legatos, sed *commissarios* di-  
cere moris est. Non ta-  
men diffitemur accidere non-  
nunquam, ut jus mitten-  
di legatos etiam penes popu-  
lum esse censeatur. Id quod  
tum demum obtinebit, si,  
durante interregni tempore,  
vel in regno electivo certus  
aliquis nondum sit constitutus,  
cujus nutu atque arbitrio  
omnia ad civitatis utilitatem

ge-

(c) *Phil. Pract. par. II. c.*  
*4. sect. 13. §. 12.*

gerantur; vel etiam in re-  
gno hereditario de successore  
inter populum non conve-  
niat; quia successio, fami-  
lia regnatrice extincta, in  
dubitatem & controversiam  
cecidit. Eiusmodi namque  
casu existente, populum in  
majestatis possessione positum  
esse, asseverare eo minus du-  
bitamus, quo certius constat,  
magnum ex denegata hujus  
assertionis veritate emergere  
incommodum: scilicet incide-  
remus in illam opinionem,  
quo perperam statuitur *αρεξιας*  
eo temporis curriculo locum  
habere. Licet enim in tali  
reipublicæ statu, *subjectum ma-  
jestatis proprium* non adsit (*a*);  
*nihil.*

nihilo secius tamen, quamdiu  
civitas pacto primævo, quo  
singuli cum singulis ad consti-  
tuendum unum & perpetu-  
um coetum conspirasse intelli-  
guntur (e) conjuncta manet,  
superest subjectum summa po-  
testatis commune, donec restis-  
tuatur proprium, quod est  
persona, cui summa imperii  
traditur. Nonnulla quidem  
adhuc essent digna, quæ hoc  
loco observarentur, ut impri-  
mis controversia illa eruditos  
inter agitata: *An status im-  
perii rom: germanici jus mit-*  
*ten-*

(d) Grot. f. B. & P. lib.  
I. c. 3. §. 7 duplex facit ma-  
iestatis subjectum: (e) Puf: f.  
N. & G. l. vii. c. 7. §. 7.

sendi legatos habeant? nec non  
quæstio de impari fædere jun-  
ctis, an illi legatos mittere que-  
ant? Sed cum propositum no-  
bis brevitatis studium id non  
permitrat; harum aliarumque  
eiusdem generis quæstionum  
decisionem desiderantes ad ju-  
ris publici & naturalis docto-  
res delegamus.

## §IV.

**C**æterum ut negotia apud  
exterros expedienda faustè  
prospereque procedant, re-  
quiritur omnino, ut prin-  
ceps civitatis, ad quem jus le-  
gationis regulariter pertinere  
supra indicavimus, ministros  
publicos alegaturus, circum-  
spectissimum ac prudentissimum

sc

se præbeat circa electionem  
& missionem eorum, quibus  
legationis munus committetur  
administrandum. Explicatas  
namque habeat necesse est,  
non solum legationis feliciter  
atque ad communem civita-  
tis fructum obeundæ rationes;  
sed perpensum etiam atque  
exploratum ipsi sit oportet,  
quibus propensionibus & mo-  
ribus quaque indole gaude-  
at, adeoque iis ne dotibus  
& virtutibus, quæ ad veram  
& optabilem præsentis lega-  
tionis procurationem requi-  
runtur, instructus sit futurus  
legatus, an non, quidque va-  
leant humeri ejus, quid vero  
ferre recusent. Atque cum  
hæc

Hæc omnia eo magis in considerationem cadere debeant, quo evidentius est, successum negotii tractandi tantum non omnem unius legati virtute ac dexteritate contineri; non alienum videtur, præcipua boni legati requisita breviter attin-  
gere. Primum quidem lega-  
tus judicio prædicto, plurimo  
rerum civilium usu atque ex-  
perientia subacto, prudentia-  
que singulari floreat necesse  
est, quo negotia suæ fidei  
commissa caute ac prudenter  
procuraturus, præterita recor-  
dari, de præsentibus recte ju-  
dicare, ex præteritis & præ-  
sentibus futura sagaciter colli-  
gere, adeoque consilia patrīx

profutura capere possit. Linguis etiam eas, quarum præcipuus & frequentissimus est usus, calleat, ut, si rerum suarum conditio postulet, absque aliorum ministerio negotiorum arcana aperire & cum aliis communicare queat. Neque exterarum civitatum, imprimis vicinarum, vires, preventus redditusque, interesse, leges, jura atque immunitates ipsum lateant. Imprimis imperantium ingenium, passionem dominantem propensionesque alias, sororio quasi vinculo cum illa junctas, non ignoret. Formam quoque regiminis, rationem status atque arcana imperiorum penitus exploras.

plorata habeat. Ministrorum  
denique, qui summis honori-  
bus funguntur, & aliorum  
juxta, quibus gratia principum  
valere contigit, mores atque  
ingenia probe sibi cognita red-  
dat ac perspecta. Præterea, qvū  
præcipuum legati munus sit  
persuadere ac dissuadere, sumo-  
maque adeo dicendi facultas  
ipſi necessaria utique existat,  
requiritur etiam, ut promta  
atque omnibus occasionibus  
accommodata eloquētia sit or-  
natus. Quin & hinc non re-  
condita quadam ratione colli-  
gitur, quod ingenio, sumta  
voce in strictiori sensu, præ-  
stare quoque debeat. Impri-  
mis autem in eo requiritur il-

la ingenii placitas ac celeri-  
 tas, quæ Gallis la presence  
 d'elprit dicitur. Hac enim si  
 prædictus est, efficietur, ut vel  
 in turbido rcrum suorum  
 statu constituens, deficiente  
 diu deliberandi occasione,  
 vigore animi accerrimo ac m-  
 nimis perturbatio, consilia  
 pronita atque expedita exco-  
 gitare, atque sic rationem ma-  
 li evitandi, ut & inter ne-  
 gotiorum scopulos pervadendi  
 vias celeriter invenire queat;  
 tantum abest ut ad jocosa et  
 iam dicta reconditosque ser-  
 viciis, aculcos, qui in legatos  
 haud raro jactant solent, prom-  
 te atque ingeniola respondere  
 nesciat. Memoria etiam licet

non excellenti, quippe quam  
perraro cum summo iudicio  
**conjunctam esse** doceat ipsa  
experientia, mediocri tamen  
instructus erit; cum in promi-  
tu sit, experientiam, quæ  
prudentiam cum diuturna cre-  
braque exercitatione parit,  
omni memoria destitui non  
posse. Summa quoque polles-  
at humanitate sermonisque co-  
mitate & affabilitate, quo  
omnes sibi devincire suosque  
reddere queat. Ad voluntas-  
tis autem propensiones pravas,  
ut & affectus, qui ex illis  
ceu fonte quodam promanant,  
quod attinet, cum adverba  
fronte contra prudentiam sta-  
tus nitantur, necesse est ut  
illas.

illas quidem ante corrigat,  
hos autem concinne tempera-  
re ac fræno rationis subjicere  
valeat. Id eo magis necessa-  
rium, quo exploratus est,  
veram prudentiam citra dili-  
gentissimam voluntatis corre-  
ctionem obtineri non posse;  
ea vero emendata, prudenti-  
am aliasque virtutes, ad vi-  
tam degendam & munia rite  
obcunda necessarias, acquiri.  
Verum enim vero, cum propen-  
siones pro temperamento-  
rum diversitate variare soleant,  
disciendum quoque est, quo  
imprimis temperamento gau-  
dere debeat legatus. Quod  
ad voluptuosos attinet, licet  
quidem hi sua humanitate  
vultus

vultuque ac sermone benigno  
animos omnium facile sibi  
concilient, aliaque nonnulla  
virtutis simulacra pre se tes-  
tant; tamen cum in volu-  
ptates magno ferantur impetu,  
libidini & gulæ inserviant,  
opes ac facultates sine judicio  
atque inconsulte effundant,  
negligentiae atque inconstantiae  
dediti, labores & vigilias pro-  
salute atque incolumentate pa-  
trix perferre detrectent, ar-  
cana fidei suæ concredita pru-  
denti silentio premere ac re-  
ticere nesciant, sed stultitia  
loquaci secreta effutiant: an-  
cipitem forsitan ac dubiam  
præclari quid præstandi spem  
estendunt. Tenuem quoque  
rei

rei bene gerendæ spem exhibent, quos avaritiae stimuli agitant. Ut namque alia incommoda temperamentū hoc comitantia, que obstant, quo minus negotia ex sententia succedant, tacitus præteream, periculum etiam est, ne, cum nimia atque inexplicabiliter escendi cupiditate ardeant, pecuniis corrupti ad perfidiae & proditionis crimen perdantur. Quod vero attinet ad eos, quorum animis ambitione insidet, prærogativam illi quidem præ cæteris habent. Hos enim ad res arduas & præclaras, pro patria, rege, propriaque gloria suscipiendas ac summa industria obeunt.

obeundas, ambitio armatur.  
Ad silentium quoque obstinata,  
tacita pectoris sui secreta pru-  
denter premunt. Forti etiam  
sunt animo magnaque con-  
stantia, quo efficitur, ut nec  
minarum formidine frangan-  
tur & de gradu dejiciantur,  
nec blandimentis temere cor-  
rumpantur. Hæc & alia licet  
possideat ambitiosus, suis ta-  
men non destituitur incommo-  
dis. Horum autem minimum  
non est, quod, cum pro-  
pter eminentiam, quam ipse  
sibi opinionis temeritate fin-  
git, onus observantie minime  
terendum aliis imponere gesti-  
at, homines sibi offensos red-  
dat rebusque suis abalienet.

Acces-

Accedit etiam, quod vehementius commoveatur atque ira adeo exacuatur, ut in illa animi perturbatione sibi temperare nullus possit, quin ar- cana, quorum alias est tena- cissimus, si non semper ore, vultu tamen haud raro pro- dat. His autem obviam ibit, si immoderatam ambitionem inhibeat, irascendi proclivita- tem intra gyrum rationis con- tineat, ac humanitatem, co- mitatem & facilitatem cum sua severitate & gravitate a- pre conjungat. Porro, cum corporis majestas non parum efficax sit ad excitandam ve- nerationem in animis homi- sum, tacitæque commendata-

zionis vicem sustineat; formæ quoque dignitate præstabit. Decori etiam gestus aliquæque ejusmodi qualitates externæ, quæ sub sensum cadunt & gallice *la mine*, *l'air*, *le port* audiunt, cum honestabunt. Ad fortunæ munera quod attinet, prudentia postulat, ut ejusmodi publicus minister ablegetur, qui natahum claritate ac splendore præcellit. Dubium enim nullum est, quin summo loco natus, si modo cætera se recte habeant, ab imperante, ad quem mittitur, benigniori excipiatur animo, adeoque, quod hinc sua sponte fluit, negotia feliciori successu admis-

admnistrare, permulta etiam  
facilius efficere atque impe-  
trare possit, quam obscuris  
initiis ortus. Adhuc amplissi-  
mis quoque fortunis atque o-  
pibus præditus sit oportet,  
quo, necessitate ita jubente,  
principis, patriæ propriisque  
honoris gratia impensas sum-  
tusque ex sua re familiari fa-  
cere queat. Neque non gra-  
tia atque insigni affectu apud  
principem suum, benevolen-  
tia & auctoritate apud opti-  
mates valeat; quum id mul-  
tum conferat ad comparan-  
dum ipsi favorem atque au-  
toritatem apud exterros. Ta-  
lis tandem eligendus est lega-  
tus, qui nullo unquam mo-

do illi populo, ad quem mit-  
tendus est, ejusque ministris  
exolum se fecit atque invi-  
sum. Quod si quando eve-  
niat, ut meruendum sit,  
ne certamen & controversia  
de præcedentia oriatur, illud  
collisionis vitandæ medium  
observari solet, ut legatis in  
tali casu non idem, sed dis-  
paris valoris velut character a  
principibus suis tribuatur (f),  
adeoque non primi, sed se-  
cundi ordinis legati mittantur,  
quo sine civitatis suæ probro  
aliis postferri queant. Manda-  
tis denique instruantur tum  
manifestis, quæ illi exhiben-

da

(f) Puf. J. N. & G. lib.  
XL. c. 4. §. 21.

da sunt, quicum est agendum, tum præcipue arcanis, quæ præscribunt quo usque legatis progrediendum sit, ne terminos sibi præstitutos transcuntes proprio aulu quidquam promissum eant, quod sine jactura ac detramento civitatis præstari non possit.

### §. V.

**S**ummatum igitur breviter, que expositis, quæ circa legatorum electionem ac missionem veniunt observanda, de illorum quoque admissione dispiciendum nunc est. Quod admitti, nec sine gravissimo cauillarum pondere rejici debeant, sic evictum ibimus; Quia leges naturæ profine-

sine habent totius humani generis, atque adeo omnium gentium felicitatem & tranquillitatem; hæc vero obtineri nullo modo potest, nisi bella finiantur, pax, concordia ac societas inter gentes conservetur ac stabiliatur; bella autem componi nequeunt, nec pax reconciliari, nec amicitia & concordia firmari, nisi nunciis publicis hunc in finem ablegatis admissio concedatur; quippe quorum opera ejusmodi negotia commodissime peragantur: sequitur etiam, quod leges naturæ exigant ut admittantur, nec sine prægnanti causa rejiciantur. Cum enim lex na-

tura-

turalis velit finem; impérat etiam medium, quod ad finem obtinendum facit. Non tamen hoc tam late accipiemus, ac si statueremus ordinis legatos sine discrimine admittendos. Nam si exempli gratia iheresis ex argumentis signisque perspicuum sit, legato advenienti propositum esse, non ut ea persequatur, quæ simulationis specie ostentat, sed ut discordias, turbas ac seditiones conflatum teat, atque arcanorum speculatorum potius, quam degatum agat; cum quis non videt principem, ad quem ejusmodi legatus ventit, nulla ejus admittendi obligatio nec obstrictum teneri, sed

sed justas omnino reje<sup>c</sup>tionis causas habere? Idem sentendum de legatis eorum, qui bellum meditantes ad eum tantum finem legatos mittunt, ut simulatae amicitiae involucro molimina occultent sua. Ejusmodi namque versutia non tantum a principis persona abest, sed injusta quoque censenda. Iustam admissionis repulsam ferent etiam illi legati, qui sunt ex numero civium originariorum principis illius, ad quem mittuntur. L<sup>u</sup>culentum hujus rei exemplum habemus in Wilhelmo F<sup>ür</sup>stenbergio, quē, prout celeb. Ich. Wolfgang Lägerus (g) obseruat, Cæsar

C

a:o

(g) Obs, III. c. 18. lib. 2. in

a:o 1674, ceu sibi subjectum pro legato gallico admittere noluit; sed, cum consilia sibi inimica agitaret, a suis per Marchionem de Grana capiens dum & in custodiam conjiciendum curavit. Sed his aliisque justæ rejectionis rationibus missis, strictim videbimus, quid circa legatos recipiendos jubeat prudentia. Primum quidem hæc postulat, ut, si nulla adsit gravior cauſa cur rejici debeant, facile & sine longiori aliqua detentione, si modo commode id fieri potest, admittantur. Quod si quando civitatis nostræ rationibus

con-

*Hug Grot. conf. tract. cui titulus:  
Detentio principis Furstenbergii.*

conducet, aliquod temporis  
spacium & moræ non nihil pri-  
us interponere, quam illis ad  
colloquium venire liceat, res  
ipsoa exigit, ut cunctationi spe-  
ciosus aliquis titulus præten-  
datur. Deinde pro munericis  
dignitate benignè humaniter-  
que excipientur, & magnifice  
splendideque tractentur. Su-  
is quoque privilegiis & iuribus,  
quibus fulciuntur atque ab o-  
mini lassione eximuntur, trui-  
eis liceat. Ut verbis compen-  
dium fiat, nihil prætermittatur,  
quod ad benevolentiam illis  
declarandam pertineat. Quod  
eo minus negligendum, quo  
certius constat, viros auctorita-  
tis robore præstantes, ejusmo-

di officiorum generibus nobis devinctos, efficere posse, ut etiam illi, a quibus protecti sunt, nobis concilientur amiciores. Quare si civitati, ob gravissimas rationes, certuni sit non committere, ut legati petitorum votorumque compotes fiant suorum, exquisito utendum est consilio atque artificio, quo repulsa tristitia mitigari & eorum benevolentia conservari possit. Sine ulla denique mora, quando cunque iis visum fuerit, cum bona gratia dimittantur necesse est.

### §. VI.

**A**tque ut officia, quæ legatis tenenda sunt, paucis jam perse-

persequamur, ordinis ratio exigit. Omnino qui ad legationes obeundas constituti sunt, in eam incumbant curam, ut muneris sibi demandati memores, rei vero privatæ oblii, quæcunque agunt, ad solidam principis civitatisque salutem & utilitatem referant. Sed ut prudentissimus quisque actionem suscepturnus, non certum modo finem sibi proponit, sed de mediis etiam ad eum consequendum accommodatis cogitat, quin & impedimenta, quæ prohibent, quominus finis præstituti compos reddatur, removere studet; ita idem legato faciendum. Ante quidem quam domesti-

cam

cam relinquit sedem, ab illo,  
qui prior legationis munere  
functus est in ea civitate, ad  
quam iter parat, rationem  
faciemque negotiorum sibi ex-  
ploratam reddat. Hac mente  
tabulas quoque ejus atque ~~as~~  
etia evoluens, accuratori men-  
tis acici subjiciat ea, quæ ma-  
ximi ponderis esse, aut diffi-  
cultatis & scrupuli quid ipsi  
injicere videantur. Neque  
non ejusdem populi nuncium,  
qui moratur apud eam civi-  
tatem, ex qua ipse mittitur,  
sibi addictum habere studebit.  
Tales etiam sibi deligat mini-  
stros itinerisque sui comites,  
qui morum cultura vitæque  
integritate præstent. Inpri-  
mis

mis vero cum sibi adjungat  
legationis secretarium, quem  
habet fidelissimum atque arca-  
norum tenacissimum. Bono  
igitur auspicio e patria ad a-  
lienam rempublicam profectus,  
eo statim ipsi entendum est  
atque elaborandum, ut gra-  
tiam principis sibi conciliare  
eiusque ministrorum volunta-  
tes complecti queat. Id quod  
ut ex sententia succedat, sum-  
mae navabit operam, ut  
non modo principis, sed co-  
rum etiam ministrorum, qui  
gratia & fide apud principem  
maxime florent, animi pro-  
pensiones, studia & mores  
scrutari atque expiscari possit.  
Quo facto, proclive ipsi erit  
viam

viam invenire planam ac fas-  
cilem ad parandum sibi adi-  
tum & captandam favoris ac  
benevolentiae auram, cuius  
flatu ad exitum pervehatur o-  
ptatum. Ad colloquia vero ad-  
missus singula verba, quo va-  
leant, ponderabit, quin &  
ad oculorum obtutum, vocis  
contentionem & submissionem,  
superciliorum remissionem,  
ac contractionem, ceteraque  
id genus attendat, utpote  
quæ animi sensa haud ra-  
ro prodere soleant. Præci-  
pitantium ceu prudentiæ ve-  
nenum & consiliis quam maxi-  
me inimicam fugiat, quo fi-  
er, ut metuendum ipsi non  
sit, ne sera atque inutilis poe-  
nitene

nitentia, individua præcipitis  
consilii comes, animum subeat  
suum. Rerum suarum con-  
ditione ita ferente, ut simu-  
landi & dissimulandi artifici-  
um sit adhibendum, caute-  
etiam ac circumspecie illud  
in rem suam convertere non  
ignoret. Quod si præterea in  
eo temporis articulo immitia  
cum deprehenderint fata, ut  
facilem atque expeditam nego-  
tiorum conficiend<sup>rum</sup> viam sibi  
polliceri nequeat; non tamen  
animum despondeat, nec pe-  
titorum pertinacem se osten-  
dat; sed potius moras inter-  
ponat, quibus forsitan tem-  
poris iniquitas infirmetur ac  
mitigetur, dataque occasione

vel

vel sub quadam communis utilitatis specie propositum urgeat suum, quo facilius optatam negotiorum metam consequi queat. Præscriptos sibi mandati limites excedere religioni sibi ducat. Qvum vero opus sit alexæ plenum, sua sponte ac privato ausu tentare fortunam earum rerum, quæ majoris sunt momenti, quam ut sine singulari civitatis mandato explicari atque expediri possint, optime sibi & suis rebus consultum ibit, si in tali casu per litterarum commercia voluntatem principis sibi reddat exploratam. Atque ut rem in pauca conferamus: *Legatus*

sunt

fit cautus & circumspectus,  
 inanis a solidis, vera a fabu-  
 losis discernere callidus; secreto-  
 rum tenacissimus; pro utilitate  
 sue civitatis aduersus quaslibet  
 corruptiones obstinatus (b), sum-  
 maque fide & industria nego-  
 tia lux procurationi commissa  
 confiscere nitatur. Peractis  
 tandem fideliter negotiis, in  
 id incumbet, ut innocens at-  
 que immunis ab omni culpa,  
 cur dimissionis repulsam ferre  
 possit, domum reditionis ce-  
 leritatem urgeat. Redux de-  
 nique ad suos factus, non  
 perplexam, sed certam ac mi-  
 nime perturbatam rerum ge-

starum

(b) *Puf. de Off. H. & C.*  
*l. II, c. 18. §. 13.*

starum notitiam exhibeat, munerisque sui rationem principi reddat.

§. VII.

**V**Erum enim vero quia legati unius generis non sunt, animus quoque nobis nunc est de ea, que inter illos intercedit, differentia paucis agere. Distinguuntur legati a se invicem ratione tum negotiorum, tum etiam dignitatis. Respectu negotiorum, cum ea vel pacem vel bellum spectent, in togatos & sagatos dividi possunt. Utique autem functiones sustinent vel negotiosas sive pragmaticas, que commodi & securitatis publicae caussa suscipi-

untur, vel officiosas, quibus  
munera honoris ergo obeunda  
intelliguntur. Alii enim missu  
principis sui ad exterros veniunt,  
ut aut bella indicant, aut  
pacem & societatem pangant,  
aut connubia atque affinitates  
concilient, aut foedera i-  
ctum & confirmatum eant  
&c. Alii vero amandantur ad  
gratulandum de tropais, de  
recens natis tori regnique pi-  
gnoribus &c. vel etiam ad  
afferendum consolationes in  
casibus adversis & lugubribus.  
Ratione autem dignitatis eos  
in primi & secundi ordinis le-  
gatos describere moris hodie  
est. Illi mittuntur cum chara-  
ctere representativo, & in pro-  
pri-

prio ac strictissimo significatu  
dicuntur *Legati*, nec non *Ora-  
tores*, Gallis *Ambassadeurs*. At-  
que cum hi principem suum  
ratione honoris & præcedentia  
repræsentent, efficitur etiam,  
ut eximio titulorum splendore  
ornati magnificentia ac cultu  
~~exquisitissimo~~ excipientur, splē-  
didiissimeque habeantur. Dis-  
pisci solent in *ordinarios*, qui  
ad conservandam externam ci-  
vitatis lux gloriā & tuen-  
dam amicitiæ perpetuitatem  
ablegantur, quibus etiam in  
aliena republica usque adeo  
morari licet, donec peculiari  
mandato in patriam revocen-  
tur; & *extra ordinarios*, qui  
ad certos actus civitatis nomi-  
ne

ne conficiendos mittuntur, ad-  
dito etiam mandato, ut ne-  
gotiis rite defuncti absque ul-  
la cunctatione domum rede-  
ant. Secundi ordinis legati  
sunt, qui suscepta quidem ne-  
gotia principis sui nomine per-  
agunt; charactere tamen re-  
presentativo instructi non sunt,  
adeoque nec principem suum  
respectu honoris ac præceden-  
tiæ referunt, nec tanto ap-  
paratu & magnificentia, at-  
que primi ordinis legati, ex-  
cipiuntur ac tractantur, so-  
lentque *Ablegati* & Gallice *En-*  
*voyés* nuncupari. Distribuun-  
tur etiam hi in extra ordina-  
rios, quibus certum quod-  
dam & peculiare negotium  
de-

demandatur procurandum; & ordinarios, quibus, concessa ipsis potestate diutius in aliena civitate morandi, promiscua rerum ad suam rem publicam pertinentium cura committitur. Ab his tamen postremum nominatis differunt *Residentes* sive legati perpetui, quippe qui minus illustri loco orti & sine singulari dignitate missi, in uno loco longiores necunt moras, ut ceu officiales mandata & negotia civitatis promiscue exequantur (i). Accedit etiam illud, quod horum admisso stricto jure non nitatur, sed ex indul-

gen-

(i) *Vid. Walch. lexic. phil. ad voc. Resident.*

gentia principis istius, ad quem mittuntur, dependeat; cum tamen alii sine justa causa, salvo non tantum humilitatis, sed gentium etiam iure, rejici nequeant (k). Dantur præterea alii negotiorum gestores, utpote legati secretarii, agentes, consules, quorum differentiam exhibet celeb. Walchius (l). Sed his omnibus, sive primi,

D                                sive

(k) conf. Willenb. sicilim. iur. gent. prud. lib. II. c. 18. qm. 13. Ⓛ grot. de f. B. ac P. l. II. c. 18. §. 3. item Puf. f. N. Ⓛ G. l. II. c. 3. §. 23. (l) in lex. phil. rapp. secretarii. agentes, consules.

sive secundi ordinis legati sine,  
jus idem est, quod nimurum  
sancti sint atque inviolabiles.

Non quidem invitus agnosco,  
animum mihi fuisse, hæc, quæ  
in præsenti raptim in chartam  
conjeci, politius limare, nec  
non promissu fidem servaturus  
de sanctitate legatorum paucis  
exponere; sed cum temporis  
angustiæ aliquæ rationes im-  
pediant, quominus id facere  
mihi nunc licet; Benevolum  
Lectorem relegatum volo ad  
**Godof: Stievens Europeisches**  
**Hoff-Ceremoniel,** nec non  
**Wicquefortii l' Ambassadeur**  
**ses fonctioñes,** ut & ad li-  
berum Francisci von Callieres,  
qui

cui titulus: *De la maniere de  
negocier avec les souverains,*  
qui ab eruditis communiter  
probantur. Reliqua vero,  
quæ de sanctitate legatorum  
dicenda sunt, alia occasione,  
si summo Numini ita visum  
fuerit, persequi constitui. Hæc  
interea temporis, L. B. in  
meliorem partem interpretari  
ne dedigneris.



21. *Antique* *Antique* *Antique*  
22. *Antique* *Antique* *Antique*  
23. *Antique* *Antique* *Antique*

24. *Antique* *Antique* *Antique*

25. *Antique* *Antique* *Antique*

26. *Antique* *Antique* *Antique*

27. *Antique* *Antique* *Antique*

28. *Antique* *Antique* *Antique*

29. *Antique* *Antique* *Antique*

30. *Antique* *Antique* *Antique*

31. *Antique* *Antique* *Antique*

32. *Antique* *Antique* *Antique*